

Cœlites colendi sunt scilicet corde, ore, re; de quo conceptu vide tit. 128.

III. *Gaudemus omnes in Domino, diem festum celebrantes in honore Sanctorum omnium.* In Missa. Explicari possunt rationes, ob quas omnes Sancti simul sumpti in Patronos eligendi, et præcipuo studio colendi sint; de quo vide l. c.

IV. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Ps. cxxxviii. Potest honor a Deo omnibus Sanctis exhibitus per similitudinem honoris olim ESTHER. VI. Mardocheo ab Assuero Rege exhibiti explicari, et salutare inde doctrina erui; de quo vide tit. 128.

V. *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* MATTH. v. Ostendi potest magnitudo beatitudinis, quam Sancti in cœlis obtinuerunt; de qua vide tit. 17. v. Beatitudo. Deinde quomodo Sancti ad hanc felicitatem pervenerint, scilicet per arctam portam tribulationum, quoniam per multas tribulationes, etc. ACT. xiv. Vide tit. 128.

VI. *Cum palma ad regna pervenerunt Sancti.* In Breviario. Dici potest, non sine mysterio, Christum, cum Jerusalem ingressus est, turbam cum palmis obviantem habuisse, ut ostenderet nempe, neminem celestem Jerusalem ingressurum, nisi palmam in manibus haberet; hinc etiam APOCAL. vii. cum palmis in manibus conspecti sunt. Palmæ autem tales victoriæ signum sunt. Unde potest ostendi, quomodo Sancti mundum, carnem, et Diabolum vicerint, aut certe quomodo victoriam sui, omnium victoriarum præstantissimam de seipsis obtinuerint; de qua vide dict. tit. 128. ubi etiam plures conceptus de hac materia reperiri possunt.

VII. Ex occasione thematis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* MATTH. v. explicari potest primum motivum, propter quod omnes Sanctos colere debemus, quia videlicet ipsi sine intermissione Deum honorant, laudant, et amant intensissime, quoad omnes vires; quæ obsequia, cum Deum plus, quam nos amemus, pluris facere debemus, quam si nobis fuissent exhibitæ; cum ergo, si nobis exhibitæ essent illa obsequia, æquissimum judicaretur, ut vicissim illos indesinenter coleremus, laudaremus, et amaremus, multo magis nunc faciendum. Ostendatur ergo modus hoc faciendi, si scilicet omnia opera nostra post Dei gloriam ad ipsorum quoque honorem ordinemus, et hac ipsa de

causa cum omni diligentia faciamus; nam, ut recte quidam dixit, Sanctorum est cultus gratissimus optima vita, quia hic cultus est purissimus, utpote omni peccato carens: *amplissimus*, quia universas nostras actiones complectitur: et *constantissimus*, quia diu noctuque sine intermissione durans.

VIII. Ex eodem themate ostendatur rationes ex ipsis Sanctorum qualitatibus petite, ob quas ipsos specialiter venerari, et familiaritatem cum ipsis contrahere debeamus. Si enim, teste experientia, vehementer amamus, et libenter conversamur cum personis sapientibus, pulchris, et amabilibus, Sanctis, et magna dignitate ac potentia polentibus, ob quam nobis multum prodesse possint, quidni, et Sanctos, qui omnes has qualitates in excellenti gradu possident, singulariter quoque amare, et magnam cum illis familiaritatem contrahere studeamus? Prohibetur ergo, Sanctos his qualitatibus eximie præditos esse, uti apud Fabrum conc. iv. in Auctario seu Sylva nova videre licet.

IX. Ex eodem themate ostendatur ingens utilitas, quam ex constanti Sanctorum cultu nos ipsi percipimus, scilicet quod hoc modo omnes Sancti sunt futuri spectatores, Advocati, et Protectores nostri, id quod fusiis probandum erit, simulque inferendum, quantum inde in actionibus nostris perficiendis alacritatem, in precibus persolvendis fiduciam, in adversis tolerandis constantiam simul acquisituri, ut merito Sancti Basilii sententia solari nos possimus dicentis: «Paratum hoc est Christianis auxilium, Ecclesia videlicet martyrium, et aliorum Sanctorum, exercitus triumphantium, chorus laudantium Deum. Sæpe laborastis, sæpe operam dedistis, ut unum pro vobis orantem inveniretis, quadraginta (imo innumeri) sunt hi unam orationis emittentes vocem, ubi enim sunt duo congregati in nomine Domini, ibi Deus est; ubi vero quadraginta (et innumeri) fuerint, quis dubitet, Deum esse præsentem, et preces exaudientem?»

X. Ex occasione thematis: *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*, ostendi potest magnitudo hujus mercedis per quinque fontes, ex quibus nascitur beatitudo scilicet: 1º Ex loci amonitate, et amplitudine. 2º Ex societate Sanctorum tam multorum, tam concordium, tam speciosorum. 3º Ex oblectatione sensuum. 4º Ex corporis gloriosi dotibus. 5º Ex vi-

sione, et fruitione Dei: ut merito Dæmon olim fassus sit se si unico momento frui hac beatitudine liceret, libenter omnia inferni tormenta usque ad diem judicii toleraturum. Vide tit. Beatitudo, et Sanctorum cultus; item Fabrum conc. vii. in Dom. II. Quadrag. et conc. III. in hoc festo.

XI. Ex occasione thematis: *B uti mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, ostendi potest, quos affectus hoc Festum in nobis excitare debeat, nimirum: 1º *Affectum desiderii*; nam, teste S. Cypriano, magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa illic turba desiderat, jam de sua immortalitate secure, et adhuc de nostra salute sollicita. 2º *Affectum spei*, quo speremus, eandem nos beatitudinem confecturos. 3º *Affectum fortitudinis*, et patientiæ in laboribus, et tribulationibus perferendis; non enim sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam: unde Sancti nos illis Siracidis verbis alloquuntur: «Videte oculis vestris, quia modicum laboravimus, et invenimus nobis multam requiem.» 4º *Affectum perseverantiæ*, quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Videatur Faber in Auctario vel Sylva nova conc. v.

XII. Ex occasione ejusdem thematis resolvitur tres principales quæstiones, sine quarum resolutione stare non potest invocatio Sanctorum. Nimirum: 1º An sciant nostras preces, et miserias? Et resolvatur affirmative cum S. Gregorio: «Quid enim illi non vident, qui omnia videntem vident?» An possint nos juvare? Et iterum resolvatur affirmative, si enim in terris potuerunt, quidni magnis in cœlis? 3º An velint succurrere? Et resolvatur, dubitari non posse; nam, ut Sanctus Bernardus recte advertit, cum putredine carnis non exiunt se visceribus pietatis, nec sibi induerunt stolam gloriæ, ut nostræ pariter miseriæ oblivionem induerent. Non est terra oblivionis, quam anima Sanctorum inhabitat; non terra laboris, ut occupentur in ea; non denique terra, sed cœlum est. Nunquid celestis habitatio animas, quas admittit, indurat, aut memoria privat, aut spoliat pietate?

PRO COMMÉMORATIONE FIDELIUM DEFUNCTORUM.

I. *Miseremini mei, miseremini mei, sal-*

tem vos, amici mei. JOB. c. xix. Possunt explicari potiora motiva ad misericordiam animabus purgatoris præstandam excitantia; quæ vide tit. 69. V. Misericordia erga defunctos.

II. *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasibus suis cum lampadibus.* MATTH. xxv. Probari potest, animabus Purgatorii propterea etiam strenue et prompte succurrendum esse, quod hæc misericordia sit unum ex certioribus signis prædestinationis ad vitam æternam certius, citius et copiosius obtinendam; de quo vide tit. 96.

III. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei.* JOB. xix. Potest ostendi, quam vere dicantur animæ defunctorum miseræ, seu pauperes *de arme Seelen*, quia scilicet in gravissima necessitate sunt constitutæ, et seipsas juvare non possunt; unde explicetur hæc earum necessitas ex pœne gravitate, de qua vide tit. Purgatorium. In secunda postea parte ostendatur, quomodo ipsis succurrendum sit triplici genere bonorum operum, oratione scilicet, elemosyna, et jejunio seu operibus poenitentiae. De quo vide tit. 96.

IV. *Faciam vos fieri piscatores hominum.* MATTH. iv. Ostendi potest, quomodo auditores animas piscari debeant, quem conceptum vide l. c.

V. *Date, et dabitur vobis.* LUC. vi. Potest ostendi perfectissimus modus succurrendi animabus, scilicet mensuram bonam, conferentam, coagitatam, et superfluentem dando in sinum earum, uti tit. 96. ostenditur. In secunda parte ostendatur, quomodo ipse vicissim sint daturæ mensuram bonam, impetrando benedictionem in temporalibus conferentam, impetrando augmentum virtutum, et meritum coagitatam, impetrando felicem mortem, et liberationem a purgatorio: superfluentem, impetrando insigne augmentum gloriæ, de quibus vide tit. 70. varias historias.

VI. *Sancta ergo, et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare.* Ostendi potest, quantum Dæmon impedire conetur auxilium animabus Purgatorii præstandum per varias objectiones, quæ proinde refutantur. Vide tit. 96. ubi etiam plures ejusmodi conceptus reperiri possunt.

VII. Ex occasione thematis: *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei.* Jo. c. v. potest Purgatorium piscinæ Probatice, et animabus languentibus ibi de-

tentis comparari, atque adeo suaderi, ut Auditores sint homo, qui eas juvet, ut tandem a languore suo curentur; de quo conceptu videatur tit. Misericordia erga Defunctos, et Faber conc. II.

VIII. Ex eodem themate ostendatur acerbitas poenarum Purgatorii ex poena damni, poena sensus, duratione incerta, quamque adeo immisericordes sint, qui juvare negligunt, cum tamen facile possint. De quo conceptu videatur eod. tit. et tit. Purgatorium. Item Faber conc. III.

IX. Ex eodem themate ostendantur motiva ad succurrendum animabus, videlicet necessitas, aequitas, et facilitas hujus succursus; de quo vide cit. tit. Item Fabrum conc. IV. et in Auctar. seu Sylva nova conc. funebri XVIII.

X. Ex eodem themate ostendi potest praesentia eleemosynae animabus praestita, quia 1^o exhibetur summe indigentibus. 2^o Quia Sanctis et Deo charis. 3^o Res praestantissima, scilicet beatitudinis adeptio. 4^o Ex bonis, quibus ipsi indigent. 5^o Affectu maximo. De quo vide tit. 96.

XI. Ex eodem themate ostendatur, quod sive nos convertamus supra nos ad Deum et Sanctos, quibus haec misericordia est gratissima: sive infra nos ad animas purgantes, quae sunt imago et templum Dei, fratres, et commembra nostra, indigentissimi pauperes: sive extra nos hostes undique nos oppugnantes: sive intra nos ad nosmetipsos, qui certius, citius, et copiosius beatitudinem per hanc misericordiam obtinemus; undique urgendum ad succurrendum animabus; de quo vide tit. 96. Fabrum in Auctar. conc. funebri et XIX.

XII. Ex eodem themate ostendatur media inutilia ad subsidium animarum, nempe, ut S. Augustinus ait, pompa funebri, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturae, monumentorum opulenta constructio (adde lacrymae amicorum) viventium sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum. Offerantur itaque horum loco alia efficaciora subsidia, qualia sunt sacrificium Missae, preces, opera mortificationis, jejunia, patientia in adversis, actiones quotidiane, indulgentiae, et similia; de quibus vide tit. cit. et Fabrum conc. VI. et in Sylva nova exhort. funebri XV. XVI. XVII. et XX.

PRO FESTO S. MARTINI.

I. *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio.* Luc. II. Potest ostendi, quomodo S. Martinus fuerit lucerna ardens et lucens; lucens quidem luce verae fidei et exempli; ardens vero ardore charitatis duplicis erga Deum et homines, ad quod serviet vita ejus brevier in Breviario, et fusius apud Surium descripta; et ea, quae in tit. Charitas et Dilectio proximi et tit. Exemplum sunt dicta.

II. *Vide, ne lumen, quod in te est, tenebrae sint.* Luc. II. Ostendi potest, quomodo quisvis Paterfamilias exemplo S. Martini debeat esse lucerna seu lumen suae domus. 1^o quidem ut lux exsiccare et purgare omnes sordes et vitia subditorum, et occasione tollendo. 2^o Illuminando suos qua verbis, qua exemplo bonos mores et honestas artes docendo, aut certe, ut ab illis doceantur, curando. 3^o Accendendo, seu efficiendo, ut Deum, et proximum sincero amore diligant; quae omnia quomodo S. Martinus erga suos praestiterit, et quilibet Paterfamilias imitari debeat, practice ostendatur. Vide sup. cit. tit.

III. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Luc. II. Ostendi potest necessitas, utilitas et jucunditas intentionis bonae, et quomodo ex hoc capite totum corpus, seu tota S. Martini vita lucida fuerit, et laudabilis apud Deum et homines, pro quo vide tit. Intentio bona.

IV. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Luc. II. Potest intentio bona oculo comparari. 1^o Ob necessitatem; sicut enim sine oculis homo miser est juxta notum proverbium: *Ein blender Mann, ein armer Mann*, ita multo magis hoc de intentione dici potest, utpote sine qua nihil homo lucratur pro aeterna vita. 2^o Ob teneritudinem; sicut enim nihil est, quod in corpore humano facilius laeditur, quam oculus; ita idem de intentione cum veritate dici potest, utpote quae facillime per subrepentem vanam gloriam aut aliam malam intentionem vitatur. 3^o Ob utilitatem; sicut enim qui bonos oculos habet, magnum habet ad labores peragendos periculaeque et hostes declinandos subsidium; ita qui bonam intentionem habet, cum magna alacritate et diligenter quotidianas suas actiones perficiet, et contra varias hostium

tentationes se defendet, ut bene notavit Thomas Kemp. l. III, c. XXXIII, dicens: Quanto purior fuerit intentionis oculus, tanto constantius inter diversas itur procellas. 4^o Sicut, qui oculos bonos habet, multiplicem ex variorum objectorum visione delectationem percipit; ita et qui bonam intentionem habet, magna voluptate perfunditur, ex finis, quem intendit, et actionum, quas elicit, praestantia. Vide dictum tit. Intentio.

V. *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Luc. II. Potest male intentionis natura et damna explicari, et ostendi, quomodo impediatur gloria et beneplacitum Dei, salutem proximi (cum Deus talibus non assistat) et propriam, utpote qui aliquando fateri debeant cum Apostolis: Praeceptor, tota nocte laborantes nihil copimus. Vide tit. 74.

VI. *Lucerna fulgoris illuminabit te.* Luc. II. Potest misericordia per divisum pallium, et alia opera exhibita a S. Martino commendari, et illud praecipue in considerationem trahi, quod Christus in illa veste ipsi apparens dixerit: Hac me veste Martinus vestivit; unde ostendi poterit, quomodo illam Christi doctrinam MATTH. XXV. Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis, ob oculos semper habere, et per eam ad mansuetudinem, charitatem et misericordiam juxta exemplum S. Martini exercendam excitare se debeant, quem in finem non parum serviet historia 44. tit. Misericordia.

VII. Ex occasione thematis: *Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit.* Luc. II. dicatur, inter alias causas, cur Festa Sanctorum celebrantur, praecipuum esse, ut illorum virtutes et modum vivendi imitemur, in S. Martino vero praecipue modum moriendi esse imitandum, qui in sequentibus consistebat. 1^o In preparatione optima per misericordiae exercitium; nam ut S. Hieronymus testatur, non legitur ullum male fuisse mortuum, qui libenter opera charitatis exercuerit; habet enim multos intercessores et impossibile est multorum preces non exaudiri. 2^o In perfecta resignatione; hinc dicebat: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; sciebat nempe optimum esse tempus, genus, et locum mortis, quod Deus praescripsit. In desiderio aspiciendi Deum, et precibus fuis, hinc assidua Deum oratione precalatur, ut ex illo mortali carcere liberaret, et oculis ac manibus in caelum semper intentus, invic-

tum ab oratione spiritum non relaxabat. 4^o In pugna contra Daemonem: hinc, conspecto Diabolo, dicebat: « Quid astas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies. »

VIII. Ex occasione thematis: *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, dici potest Deum imitari Principes, qui interdum certamen jaculatorum instituunt, et varia praemia proponunt scopum attingentibus: hinc sicut alii remotius, alii propinquius tangunt centrum metae; alii omnino aberrant; ita idipsum fieri in certamine isto: nam omnino aberrant, qui malam intentionem praefigunt operi; remotius tangunt metam, qui servilem faciunt intentionem; propius, qui mercenariam; proxime, qui filialem, soli Deo placere cupientes; hoc ut obtineatur, sinister oculus claudendus est, id est, omnis commodi proprii amor abesse debet, manus immota teneri, seu constantia servari. Vide tit. Intentio.

IX. Ex occasione thematis: *Si autem oculus tuus nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit*, potest ostendi multiplex oculus nequam. 1^o Eorum, qui vanam gloriam de operibus concipiunt. 2^o Qui vanam laudem quaerunt. 3^o Qui amorem proprium sectantur. 4^o Qui aliorum mala interpraetantur, pro quibus proin omnibus varia media praescribantur, qualia vide in tit. Gloria, Laus, Amor proprius, Judicium temerarium.

X. Ex occasione thematis: *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio*, ostendatur, qui ponat lucernam sub modio, nimiorum. 1^o Qui fidem suam publice profiteri non audent. 2^o Qui talentis suis, nti decet, ad aliorum utilitatem non utuntur. 3^o Qui potestatem suam, ubi oportet, non exercent in vitiis subditorum corrigendis, vel puniendis. 4^o Qui vires suas et gratiam a Deo communicatae ad bene vivendum non applicant tepide viventes; quae omnia fusius deducta vide apud Fabrum conc. IV.

XI. Ex occasione thematis: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit*, possunt indicia male intentionis proponi, qualia sunt. 1^o Si quis desideret sua opera in publico potius, quam in abscondito facere. 2^o Si aegre ferat, quando male succedunt. 3^o Si tristetur, cum alii laudentur praese ipso. 4^o Si non aequè paratus sit ad vilia quam honorifica opera. 5^o Si inter opera semper distrahat sollicitus de successu. 6^o Si majori alacritate peragat opera, per

quæ magnam laudem expectat. Quæ omnia quomodo corrigenda sint, ostendatur. Vide tit. Intentio.

XII. Ex occasione thematis : *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*, præscribi possunt media ad puritatem intentionis obtinendam, videlicet. 1^o Cor mundum juxta illud : Ps. I. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. 2^o Charitatis divinæ studium. 3^o Sæpe ponderetur, quanto præponderet solius Dei indicium et beneplacitum, omnium hominum et Angelorum judicio et laudi. 4^o Assuescere de omnibus operibus suis laudem Deo tribuere et dicere cum Davide : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. 5^o Sua opera libenter abscondere : de quibus vide tit. cit.

PRO FESTO PRÆSENTATIONIS
B. VIRGINIS.

I. *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. II. Potest narrari historia de ESTHER. cap. II. Esth. et præcipue quomodo introducta fuerit in domum regiam, ut prepararetur cum puellis regiis, atque ostendi, quomodo B. Virgo se præparavit, ut fieri posset sponsa Spiritus Sancti, id quod accurate faciebat per orationis continuæ et virtutum aliarum, præcipue humilitatis, obedientiæ, et modestiæ studium, quarum proinde virtutum aliqui actus enumerari possunt, atque eum in finem videri tituli earundem virtutum.

II. Ex ejusdem thematis occasione ostendi potest, quomodo B. Virgo se præsentavit, et in templo obtulerit Domino. Unde 1^o Ostendatur, in quo consistat Præsentatio, solumque illius beneplacitum requiratur. 2^o Quomodo hoc totum B. Virgo impleverit. 3^o Quomodo ipsi quoque auditores ad exemplum hujus virginis præsentare se debeant. Vide tit. Resignatio.

III. *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. II. Potest ostendi, quanta felicitas, et dignitas obtigerit B. Virgini per maternitatem Dei; ob hanc enim preservata est ab originali macula, est repleta innumeris donis gratiæ, teste Angelo Luc. I. preservata nullis periculis, ad summam post Deum dignitatem evecta, et in caelos gloriose assumpta. In secunda parte ostendatur, quomodo quivis Mater Dei effici possit, juxta illud Christi

MATTH. XII. Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ille meus frater, soror, et mater est; et quomodo etiam Auditores suo modo participare queant similes effectus. Vide tit. Hyperdulia Mariana.

IV. *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Luc. II. Potest explicari felicitas eorum, qui verbum Dei audiunt, id est, voluntatem Dei in omnibus observant et exequentur. Ostendatur ergo, quomodo triplicem beatitudinem consequantur. 1^o *In bonis temporalibus*, juxta illud Christi MATTH. VI. Quærite primum regnum Dei, etc. 2^o *In bonis gratiæ*, quia obedientia, teste S. Gregorio, cæteras virtutes menti inserit, insertasque custodit; hinc et ipse Christus, quia subditus erat parentibus, proficiebat ætate et gratia, etc. 3^o *In bonis gloriæ*, quia obediens, uti luctabitur, et obtinebit victorias longe excellentiores, subjugando et captivando seipsum et judicium suum; ita præmium quoque copiosius a Deo obtinebit. Vide tit. Obedientia, et Resignatio.

V. Ex eodem themate ostendi potest, quod B. Virgo felix quidem fuerit, quod genuerit Verbum divinum, sed multo felicior, quod audierit verbum Dei, et conservaverit illud in corde suo, uti Evangelium testatur, et per inductionem aliquot exemplorum probari potest, simulque ostendi, cur et quomodo ipsi quoque Auditores verbum Dei audire, custodire, et opere complere debeant, de quo videatur tit. Verbum Dei.

VI. *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. II. Potest B. Virgo speculo Virtutum comparari, et illa S. Ambrosii hortatio : Sit vobis tanquam in imagine, etc., proponi, simulque quæ virtutes in hoc speculo, tempore Præsentationis maxime reluxerint, ostendi; de quo videatur tit. Hyperdulia Mariana, ubi etiam plures conceptus reperire licet.

VII. Ex occasione thematis : *Beatus venter qui te portavit*, Luc. II. ostendi potest, quod S. Anna vere beata et laudanda sit, quod exemplum Tobie senioris filiam suam ab infantia timere Deum docuit. Unde ostendatur 1^o Quid et quotuplex sit timor, et quomodo filialis servilii, et mercenarii preferendus. 2^o Quomodo B. Virgo ab infantia eum exercuerit, atque adeo merito nunc ad nos dicat : Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Vide tit. Timor Dei.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quam necessaria, utilis, et jucunda, hono-

ricaque sit liberorum educatio, et quomodo ea convenienter institui queat; de quo vide tit. Educatio.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo parentes suos liberos in templo præsentare debeant. Nimirum 1^o Eos ad templum portando pro Baptismo, et Sacramento Confirmationis suscipiendo. 2^o Eos assuefaciendo, ut libenter templa frequentent, et officiis divinis reverenter assistant. 3^o Eos in templo frequenter Deo et Sanctis commendando. 4^o Laborando, ut per honestos mores et vitam efficiantur dignum templum et habitatio Spiritus Sancti; de quibus vide tit. cit. et tit. Baptismus.

X. Ex occasione thematis : *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*, ostendi potest, quomodo B. Virgo in templo perfectissime subdita fuerit superioribus, et ideo, sicut postea Christus ejus Filius, profecerit ætate, sapientia, ac gratia apud Deum et homines; pro quo conceptu fusus deducendo, Vide tit. Obedientia.

XI. Ex occasione thematis : *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ sucisisti*, ostendi potest. 1^o Quas ob causas matres ipsæmet liberos suos lactare debeant post natiuitatem. 2^o Quod magis ipsis præbere debeant ubera spiritualia doctrinæ et exempli boni, ex quibus candidissimum, purissimum, et dulcissimum lac honestorum et innocentium morum exsurgant; pro quo vide tit. Educatio, et Exemplum.

XII. Ex occasione thematis : *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*, ostendi potest, quod triplex verbum sit cuius Christiano audiendum. 1^o Verbum Dei incarnatum, Christi doctrinam et exempla observando. 2^o Verbum Dei in concionibus explicatum. 3^o Verbum Dei a superioribus propositum, imperia et voluntatem eorum implendo. In secunda parte ostendatur, quam vere beati dici queant, qui triplex hoc verbum diligenter et reverenter audiunt, et accurate custodiunt. Vide tit. Obedientia, Verbum Dei, Christus.

PRO FESTO S. CATHARINÆ.

I. *Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes.* MATTH. XXV. Ostendi potest, non immerito S. Catharinam studiosorum et Philosophorum maxime Patronam

TOMUS V.

agnosci, eo quod absolutissima philosophiæ et sapientiæ cœlestis specimina ediderit, observans exactissime duo primaria philosophiæ præcepta : Abstine et sustine. Unde 1^o ostendatur, quomodo abstinerit a voluptatibus, divitiis, honoribus a Maximiano Imperatore promissis, et quomodo sustinerit indigentiam, contemptus, dolores. In secunda parte ostendatur, quos fructus ex hac sapientia retulerit, scilicet summas consolationes cœlestes, summas divitiis virtutum (quæ solæ veræ divitiæ sunt) et summos honores in cœlis et in terris. Vide tit. Prudentia.

II. *Prudentes vero accepterunt oleum in vasibus suis cum lampadibus.* MATTH. XXV. Ostendi potest, quod per oleum hoc merito charitas erga Deum et proximum intelligatur, utpote quæ perinde ad lumen fidei lampade conservandum apta, juxta illud S. Pauli I. Cor. XIII. Si habuero omnem fidem, etc. Ostendatur ergo, quomodo hoc oleo lampadem suam S. Catharina impleverit, id est, charitatem suam erga Deum et proximum ostenderit, et Auditores quoque eandem imitari, et. *Date nobis de oleo vestro*, dicere debeant. V. tit. Charitas, et Dilectio proximi.

III. *Eccæ sponsus venit, exite obviam ei.* MATTH. XXV. Ostendi potest, quam sapienter egerit S. Catharina nuptias Maximini recusando, et Christum in Sponsum eligendo, quia erat pulchrior, sapientior, ditior, nobilior, dignior; et quomodo proin ipsi quoque Auditores eidem se per charitatem desponsare possint. Vide tit. Charitas.

IV. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* MATTH. XXV. Potest ostendi, quomodo S. Catharina vigilaverit, se ad mortem disponendo per optimam, id est, voluntati Dei conformem vitam; et quomodo Auditores quoque ad eandem se disponere debeant per simile medium; pro quo tit. Mors videri potest.

V. *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* MATTH. XXV. Ostendi potest, quales fuerint nuptiæ, ad quas S. Catharina intravit : sive Sponsus, in ejus thalamum introducta fuit; sive festivitas, et gaudium, quod ex iisdem nuptiis percipiendum fuerat; sive illarum perpetuitas consideretur. In secunda parte ostendatur, cur admissa fuerit ad has nuptias, quia, scilicet, paratæ erant per animi puritatem, juxta illud MATTH. V. Beati mundo corde, etc. et Ps. XIV. Domine,

11

quis habitavit, etc. Vide tit. Beatitudo, et Mors.

VI. *Et clausa est janua.* MATH. XXV. Post Auditor ad non differendam penitentiam excitari, atque ad hunc finem explicari, quantum dolore merito illa virgines fatue percipisse credende sint, dum verba ista, *Janua clausa est*, audiverunt; quanto majorem percipitur sint damnati, si non tantum poenam damni per ista verba, sed etiam poenam sensus incurrisse adverterint per verba: *Ite maledicti.* Ostendatur dein, quomodo S. Catharina a juventute lampadem cordis oleo charitatis impleverit, atque adeo quivis ejus exemplum imitari debeat. Vide tit. Penitentia.

VII. Ex occasione thematis: *Quae parate erant, intraverunt cum eo.* MATH. XXV. ostendi potest, quomodo S. Catharina triplicem laureolam Virginum, Doctorum et Martyrum assecuta sit, et quomodo aequivalentem etiam assequi queat quivis Christianus, si castitatem suo statui congruentem illibatam servat; si alios, quantum status suus permittit, instruere laboret; si tribulationes amore Dei patienter sustineat. Vide Fabrum conc. IV.

VIII. Ex occasione thematis ejusdem ostendi potest, magnam quidem fuisse pulchritudinem S. Catharinae corporalem, utpote quam etiam Caesar concupierit; sed spirituales longe praestantiores fuisse, ita ut de illa merito dici poterit, quod Sponsa de Sponso dixit: *Dilectus meus candidus, et rubicundus.* Unde ostendatur, quam candida fuerit S. Catharina per candorem puritatis corporis et animae; et quam rubicunda per martyrium et sanguinis effusionem.

IX. Ex occasione thematis: *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus,* ostendi potest, quam prudens fuerit S. Catharina, dum Sponsum coelestem terrestri, regnum colorum regno mundano, voluptates coelestes et perpetuas terrenis et perituris preposuerit, et quibus motibus se ad hoc faciendum excitavit.

X. Ex occasione thematis: *Simile est regnum colorum decem virginibus,* ostendi possunt praemia Virginum a dignitate, utilitate et jucunditate, quae omnia facile amplificari possunt ex his, quae tit. Castitas sunt dicta.

XI. Ex eodem titulo occasio sumi potest potiores virtutes indicandi, quae a virginibus observari debent quales sunt cauta et rara

cum altero sexu conversatio, amor solitudinis, solida devotio, cauta et frequens locutio, sensuum accurata custodia, obedientia prompta, et similes; de quibus vide suo loco, et Fabrum conc. II. in hoc Festo.

XII. Ex occasione thematis: *Et quae parate erant, intraverunt cum eo,* indicari potest, quomodo se quavis anima Christiana ad mortem parare debeat, scilicet: 1º Lampadem cordis oleo charitatis divinae et dilectionis proximi implendo. 2º Vigilando, et adventum Sponsi in singulas horas expectando. 3º Eundo illi obviam, id est, se ejus voluntati circa mortem plenissime resignando. Pro quo conceptu vide tit. Mors, et conc. V.

PRO FESTO S. ANDREÆ.

I. *At illi continuo relictis retibus secutus sunt eum.* MATH. IV. Potest ostendi, quomodo quisevocationem suam implere debeat; nimirum, 1º Continuo seu statim sequendo, juxta illud, Ps. XCIV. Hodie si vocem ejus audieritis, etc. 2º Retia, seu impedimenta vocationis, relinquendo, seu generose renovando. 3º Sequendo, imitando scilicet Christum in voluntate Patris coelestis adimplenda, seu his, quae ad statum suum pertinent, perfecte obeundis.

II. *Venite post me.* MATH. IV. Potest ostendi, cur S. Andreas vocem Christi tam prompte audierit, et secutus sit, quia scilicet habebat omnes conditiones earum vocum, quas libenter audire solemus, et erat vox personae potentis, sapientis, amantis, praemiantis; de quo conceptu vide tit. Cui.

III. *Faciam vos piscatores hominum.* MATH. IV. Explicari potest, quam nobilis sit piscatio animarum: 1º Ob pisces, qui capiuntur, scilicet animas, de quarum praesentia vide tit. XII. V. Anima. 2º Ob instrumenta piscandi, videlicet orationem, verbum, et exemplum, de quibus vide tit. Cui. V. Zelus. 3º Ob lucrum inde sperandum, seu premium zelosis piscatoribus animarum promissum; de quo vide l. c. Ostendatur dein, quomodo S. Andreas impleverit hoc officium piscatoris, et quomodo Auditores quoque eundem pro suo statu, et vocatione imitari debeant.

IV. *Relictis retibus, et patre secuti sunt eum.* MATH. IV. Possunt proponi et refutari impedimenta, ob quae aliqui aegre vocem et

verbum Dei audiunt; de quibus vide tit. Cui. et tit. Verbum Dei.

V. *Secuti sunt eum.* MATH. IV. Ostendi potest, quam perfecte S. Andreas Christum secutus sit, implendo scilicet conditiones, quas ipse Christus MATH. XVI. indicavit dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me.* Declaratur ergo in prima parte, quomodo abnegaverit semetipsum; pro quo vide tit. Abnegatio. In secunda vero explicatur, quomodo sustulerit crucem suam, ita ut non solum libenter, sed etiam alacriter et constanter eam tulerit; de quo vide tit. Patientia, et tit. Crux.

VI. Ex ejusdem thematis occasione ostendi potest, quare S. Andreas cum Christo tam hilariter crucem portaverit, quia videlicet non ad exteriorem pressuram, sed ad fructum intus latentem oculos reflexit, perinde ac is, qui crucem ligneam, intus cavam, et auro impletam cum gaudio domum portaret; unde ostendatur et enumerentur fructus latentes sub cruce et tribulationibus, et probetur quam illa digna fuerint, ut S. Andreas cum gaudio crucem saluaret et susciperet, et proin etiam in hoc Auditores ipsum imitari debeant. Vide tit. Crux, et tit. Patientia.

VII. Ex occasione thematis: *Venite post me,* possunt explicari cause, cur S. Andreas crucem tantopere amarit, nimirum quia videbat in ea reperiri omnes titulos, ob quos alii gloriantur, et se felices putant, nempe veras divitias, dignitates, voluptates, ut adeo merito dixerit cum S. Paulo: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi.* Vide tit. Crux.

VIII. Ex eodem titulo ostendi potest, quomodo crux sit tollenda, et post Christum portanda, nimirum: 1º Ardentem eam desiderando. 2º Alacriter et cum gaudio eam suscipiendo. 3º Constanter eam usque ad vitam finem portando, exemplo Christi, descendere ex ea nolentis, etiamsi a Judæis ad id incitatus fuerit; quae omnia quomodo S. Andreas observaverit, facile ex illius vita ostendi possunt.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, cur S. Andreas de cruce deponi noluerit, nimirum: 1º Propter exemplum Christi pariter descendere nolentis. 2º Propter desiderium laureolae Martyrum assequende. 3º Propter amorem Dei, quo desiderabat dissolvi, et esse cum illo. Ostendatur itaque, quam

pauci sint, qui ipsum in hoc imitentur; et quomodo in certis casibus optare et petere possimus, ut deponamur de cruce. Vid. tit. Crux.

X. Ex occasione thematis: *Illi autem relictis retibus statim secuti sunt eum,* ostendi potest, quomodo quivis Christianus Christum sequi possit, et debeat. 1º Quia ab ipso emptus, et redemptus est proprio sanguine; unde locum habet illud S. Bernardi: *« Si totum debeo pro me facto, quid addam pro me refecto, et redempto? »* 2º Quia Christianus propterea dicitur, ut Christum sequatur. 3º Quia sicut socius passionis et doloris fuerit, ita et gloriae ac honoris erit. De quibus vide tit. Christus, et Christianus.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo quivis homo omnia relinquere, et pauperi spiritu esse possit, si scilicet consilium S. Pauli sequatur; et si, qui habent uxores, tamquam non habentes, et qui utuntur de hoc mundo, tamquam non utentes sint, et qui divitias habent, cor non appellant; sic enim, et de Apostolis dixit S. Gregorius: *« Hac in re, Fratres charissimi, affectum potius debemus pensare, quam censum; »* et ut S. Ambrosius dicere solebat, *« Voluntas divitem aut pauperem collationem facit, et pretium rebus imponit; »* hinc Eremitae quondam dicebatur, ipsum majorem affectum habere ad suam felem, quam S. Gregorius ad omnes suas divitias et honores habeat. 2º Ostendatur, quomodo etiam Christianus quilibet centuplum sperare possit, et quid sit illud centuplum; de quo vide tit. Paupertas.

XII. Ex occasione thematis: *Faciam vos piscatores hominum,* dici potest S. Andream et socios reliquisse quidem retia materialia, non tamen spiritualia; haec enim tamquam piscatoribus vel maxime erant necessaria. Ostendatur itaque: 1º Quoniam sint retia spiritualia, scilicet actiones ad proximi salutem procurandam ordinate, quae non debent esse ruptae seu obiter factae, et suo tempore per renovationes spiritus refici. Item debent habere plumbum humilitatis, et diffidentiae in vocationis gratia. 2º Ostendatur, quomodo uti hoc reti debeat, scilicet ut ad imperium Christi ejiciatur. Ad dextrum latus in verbo Dei laxetur. Ut sociis annuatur ad auxilium ferendum. Vide tit. Zelus, ubi alius modus hanc artem piscandi, exercendi assignatur.

PRO FESTO S. NICOLAI.

I. *Tradidit illis bona sua.* MATT. XXV. Ostendi potest quomodo Deus omnes res creatas homini tradiderit ad usum, juxta illud Ps. viii. Omnia subieci ei, etc., et quomodo proin illa tria cujusdam S. Patris dicta sibi applicare debeat: Accipe beneficium, redde servitium, time supplicium; quæ proin amplius explicari, et quomodo bonis sibi traditis S. Nicolaus sit usus ad finem destinatum et ad servitium Dei, ostendi. Vide tit. Amor et tit. Deus.

II. *Euge, serve bone, et fidelis.* MATT. XXV. Ostendi potest quis sit fidelis servus et quomodo omnia talis servi officia impleverit exactissime S. Nicolaus; de quo vide tit. Deus.

III. *Domine, duo talenta tradidisti mihi.* MATT. XXV. Explicari potest, quomodo quilibet homo duo talenta, intellectum scilicet, et voluntatem a Deo acceperit, ut per ea acquirat alia duo talenta in hac vita, scilicet cognitionem et amorem Dei, et duo in altera, visionem nempe et fructum Dei; et quomodo hoc duo talenta lucratus sit S. Nicolaus, et ipsi etiam Auditores lucrari debeant. Vide tit. Amor et tit. Beatitude.

IV. *Unicuique secundum propriam virtutem.* MATT. XXV. Ostendi potest, quomodo quisque talento suo contentus esse debeat, et in primis quoad dona naturalia, puta constitutionem corporis et animi; de quo vide pulcherrimum caput in lib. de imit. Christi. l. III. c. XXII. Deinde quoad bona fortunæ; de quo vide tit. Paupertas, et tit. Divitiæ. Denique quod conditionem status, et officii, ut meminert, quemvis spectaculum factum esse Deo et hominibus, atque adeo non referre, quam personam, sed quam bene agat. Quæ omnia proin quomodo S. Nicolaus observavit, et quisque ex Auditoribus observare debeat, fusius ostendatur. Vide tit. Resignatio.

V. *Operatus est in eis, et lucratus est alia quique.* MATT. XXV. Ostendi potest, quomodo fœneratus S. Nicolaus statim ab adolescentia facultates suas pauperibus distribuendo, ita dicere cum Jobo posset: Ab infantia mecum crevit miseria, etc. JOB. XXXI. et deinceps hanc misericordiam per totam vitam continuando, id quod facile ex vita in Breviario descripta ostendi potest. Addatur, quos fructus ex hac misericordia retulerit,

et quos Auditores quoque sperare possint. Vide tit. Misericordia.

VI. *Uni dedit quinque talenta, alii duo.* MATT. XXV. Ostendi potest quomodo S. Nicolaus artem eleemosynas fructuose dandi docuerit, observando scilicet: 1º Personas, quæ magis egebant, ut patet in tribus virginibus, quas dotavit. 2º Modum securissimum, nempe occulte dando et sic observando consilium Christi, MATT. VI. Cum ergo facis, etc. 3º Quantitatem, dum omnia sua distribuit juxta consilium Christi, MATT. XIX. Si perfectus esse, etc. Excitentur proin Auditores ad hanc misericordiam et liberalitatem imitandam, quem in finem vide tit. Misericordia.

VII. Ex occasione thematis: *Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratum sum.* MATT. c. XXV, ostendi potest, quomodo S. Nicolaus duo talenta, corpori scilicet et animæ vires, fidelissime ad majorem Dei gloriam impenderit, et alia duo, nempe propriam et alienam salutem lucratus sit; quæ omnia ex ipsius vita dilatari possunt.

VIII. Ex occasione thematis: *Euge, serve bone, et fidelis, quia super paucis fuisis solertis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui;* explicari potest, in quo fidelitas ista consistat, ut scilicet per servitium suum, non suum lucrum, sed Domini sui quærat; atque adeo cum Dei lucrum sit ipsius gloria, eam semper intactam relinquat, nihilque de ea sibi attribuat, sed cum S. David dicat: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Item ostendatur, quomodo Deus eum super multa constituerit, dum ei beatitudinem contulit, de qua jure dicere potuit: Venerunt mihi omnia bona cum illa, et innumerabiles honestas per manus illius. Vide tit. Beatitude, et Inventio.

IX. Ex occasione thematis: *Tradidit illis bona sua,* explicari potest, quam laudabilem misericordiam exercuerit S. Nicolaus erga tres virgines pauperes; dein ostendatur, quomodo quisque eum imitari possit in triplici misericordia erga pauperes, peccatores, et animas purgatorii exerdenda. De quo vide tit. Misericordia erga viventes et defunctos, et tit. Zelus.

X. Ex eodem themate ostendi potest, cur suum quisque talentum bene impendere debeat, scilicet: 1º Propter dantis benevolentiam et sapientiam, qua convenientissimum cuique talentum largitur. 2º Propter nostrum

commodum per illa verba, Super multa te constituam, indicatum. 3º Propter timorem pœnæ ob talentum male collocatum infligende.

XI. Ex occasione thematis: *Uni dedit quinque talenta, alii duo, alii vero unum,* ostendi poterit, cur quisque talento suo contentus vivere debeat, nempe: 1º Quia Dei voluntas et dispositio sic ordinavit, quæ ut pius auctor l. III. c. XXXII dixit: « Pius eum consolari magisque placere debet, quam omnia beneficia sibi data vel danda. » 2º Quia majorem habet occasionem fidelitatis sue ostendende; hinc dictum est servo: Quia super pauca fuisti fidelis. 3º Quia qui minus accepit, minus rationem reddere debet. Vide pulcherrimum caput citatum et huc applica.

XII. Ex eodem themate ostendatur, quomodo parentes suis liberis ad imitationem S. Nicolai tres globos aureos largiri debeant, scilicet: 1º Timorem et amorem Dei per observationem mandatorum Dei demonstrandum; sic enim dicere poterunt ad illos: Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timeamus Deum, et fecerimus bene. 2º Sedulitatem in scientiis et artibus, quibus vita sustentanda est, ad discendis. 3º Modestiam et civilitatem morum, ut quæ maxime adolescentiam exornet, et per totam vitam observanda sit. Vide tit. timor Dei, Otium, et Modestia.

PRO FESTO IMMACULATÆ
CONCEPTIONIS.

I. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariae.* MATT. v. Potest ostendi, quale sit hoc Festum, et quantopere placeat ejus devota celebratio, et quis sit optimus modus celebrandi, scilicet per immaculatæ vitæ studium; de quo conceptu vide tit. 70.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo in Conceptione B. Virginis impletum sit illud CANT. IV. Sicut lilium inter spinas, etc. de quo vide tit. 70.

III. Item quomodo verificatum sit in illa id, quod CANT. IV. de Sponsa dicitur: Tota pulchra es, etc. de quo conceptu vide l. c.

IV. Item quomodo verificatum sit illud GEN. III. Inimicitiam ponam, etc. de quo vide l. c.

V. Item quomodo hoc die aurora, seu po-

tius aurea hora, ut S. Birgitta relevationum est, exorta sit; de quo vide l. c.

VI. Item ostendi potest, quomodo hoc Festum devotissime celebrari possit, nempe: 1º Cogitatione, firmiter credendo immaculatam Conceptionem, pro quo sine possunt afferri rationes id credibile facientes. 2º Verbo, prædicando aut asserendo immaculatam Conceptionem, (id quod per officium immaculatæ Conceptionis quotidie recitatum fieri potest) eamque contra adversariorum argumenta defendendo; prout non pauci etiam voto ad id se adstringunt. 3º Opere, seu per immaculatæ vitæ studium, qui modus, cum sit purissimus, amplissimus, et constantissimus, merito B. V. quoque gratissimus censi potest ac debet; de quo vide tit. Hyperdulia. Reperitur etiam alii conceptus ad B. Virginem pertinentes, et omnibus Festis communes.

VII. Ex occasione thematis: *Mathan autem genuit Joseph virum Mariae,* ostendi potest et probari, B. Virginem esse sine macula originali conceptam. 1º Ex congruentiis. 2º Ex variis revelationibus. 3º Ex miraculis hunc in finem patris. 4º Ex auctoritate et unanimi consensu Doctorum, plerumque et pio affectu fidelium. 5º Ex ratione, qua S. Augustinus et alii asserunt, B. Virgini attribui debere, quiddam sine inconvenienti tribui potest. Unde Auditores ad hoc Festum singulariter colendum excitentur. Vide Instruct. 7.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, cur Festum hoc specialiter celebrandum sit; nimirum: 1º Quia B. Virgo ipsa revelavit, sibi gratissimam esse hanc celebrationem, dum Clerico submerso, et a se vitæ restituito præcepit, ut in grati animi signum hoc Festum celebraret. 2º Quia per illud celebratur memoria illius privilegii, quod illi soli ex hominibus convenit; unde sicut virgini cupian summe placeret, si diceretur pulcherrima; ita B. Virgini gratissimum fore creditur, si sine macula concepta dicitur. 3º Quia hoc ipso, quod nihil ab Ecclesia definitum sit circa hanc materiam, atque adeo liberum sit civis defendere hanc immaculatam Conceptionem, merito valde illi placitum creditur, si quis ad partem magis honorificam illi se determinet, et suum erga illam affectum hoc modo clarius ostendat; ut plurimi etiam voto se ad eandem Conceptionem defendendam obligarunt.

IX. Ex eodem themate B. Virgo Esther

comparari potest. 1^o Quia ut Esther, erat inter omnes mulieres pulcherrima, utpote cui in re dici queat: Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. 2^o Quia, ut Esther, præ aliis placuit Deo, et invenit gratiam in oculis ejus. 3^o Quia, sicut Esther Assuerus, ita Deus B. Virginis dimidium regni, id est, misericordiam, servata sibi omnipotentia, non promisit tantum, sed et actu contulit. 4^o Quia sicut Esther duas ancillas habuit, quarum una innitebatur, altera vestes colligebat, ita B. V. pro ancillis Angelicam et humanam, naturam servientem habuit. 5^o Quia sicut Esther populum Judaicum, ita B. V. Christianum ab interitu liberat; unde merito hic ad eam clamat: Sub tuum presidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris. Vide tit. Hyperdulia.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quod, sicut matres pulchre summo opere gaudent, si filios aut filias sibi valde similes habeant, ita immaculate concepte Virgini summe placitum sit, si liberi sui esse christi studeant, et macula in eis non sit. Unde inferendum est, hunc modum obsequii illi gratissimum.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, B. Virginem hodie ut auroram consurrexisse. 1^o Quia ut aurora est prænumtia diei et solis, ita B. Virgo erat prænumtia Christi, qui Sol est justitiæ, venturi. 2^o Quia sicut aurora est mater roris, ita ipsa B. Virgo fuit Mater Christi, de quo clamabant Patres: Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum. 3^o Quia sicut aurora per rorem fecundat terram et fructus; ita et B. Virgo fecundavit mundum per Christum. 4^o Quia sicut aurora homines ad surgendum e lecto et laborandum invitat, ita B. Virgo verbo, et exemplo servos sibi devotos ad excutiendum socordium soporem, et labores anime utiles, Deoque gratos suscipiendos excitat.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quod ex hoc titulo immaculate Conceptionis vere de illa dicatur: Qui me invenierit, inveniet vitam; triplicem nempe, corporalem per conservationem; spirituales per gratiæ recuperationem; æternam per gloriæ adeptionem, que sicut, ipsi præ alia debetur, ita ipsius quoque cultoribus merito confertur. Vide tit. Hyperdulia.

PRO FESTO S. THOMÆ.

I. *Noli esse incredulus.* Jo. xx. Potest ostendi, quanta damna afferat incredulitas; nam, 1^o Est radix omnium peccatorum, ut jam olim S. Theresia affirmavit, et facile per inductionem suaderi potest, ita ut merito dixerit Joannes Avila, Christianos male viventes aut Hæreticorum carcere dignos esse, quia non credunt ea, quæ de futuro vitæ gaudiis, et pœnis fides docet; aut stultorum cavea, si nempe credant ea, et tamen pergant peccando viam sibi ad cœlum occludere, et ad infernum aperire. 2^o Privat præsentia, et gratia Christi, qua nihil est utilius, jucundius, et optabilius, uti ex c. viii. l. II. de imit. patet. 3^o Privat facultate bene operandi, cum, qui veram fidem non habet, oculo quasi spirituali anime careat, ac proinde nihil operari possit ad vitam æternam pertinens; quæ jactura quam gravis sit ostendatur. Pro quo vide tit. Hæresis.

II. Ex ejusdem themate occasione potest incredulitas cœcitati spirituali comparari, et ostendi inde damna illius, ob quæ merito dicatur: *Ein blinder Mann, ein armer Mann.* Nam: 1^o Non secure incedit, sed in periculo manifesto est, ne a vera via ad cœlum aberret. 2^o Pariter in periculo est, ne in foveam inferni cadat. 3^o Nihil operari potest ad salutem, ut cæcus. 4^o Privat gaudium, quod aspectu cœli, et celestium Incolarum, et ipsius Dei alii percipiunt, et ipse quoque percipere potuisset. Vide tit. Hæresis.

III. *Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis.* Jo. xx. Ostendi potest, quæ sit potissima causa incredulitatis, et hæresum, nempe quia non sociantur Apostolis, seu Ecclesiæ Apostolicam doctrinam tenenti; unde probetur, quomodo Ecclesia hanc doctrinam semper tenuerit, et defenderit, quamque adeo merito eidem quivis firmissime conjungi, et adherere debeat; pro quo vide tit. Fides.

IV. *Beati qui non viderunt, et crediderunt.* Jo. xx. Potest ostendi, quam vere beati dicantur, qui veram fidem tenent, in acceptione, exercitio, et præmiatione fidei; pro quo vide totum tit. Fides.

V. *Erant Discipuli intus, et Thomas cum eis.* Jo. xx. Potest ostendi utilitas societatis bonæ, quia scilicet excitat exemplo ad honos

mores, frui facit præsentia Christi (qui in medio eorum est, qui congregati sunt in nomine suo) et singularem lætitiæ affert juxta illud Psalmistæ: O quam jucundum est habitare fratres in unum; et contra hostes defendit, quia frater, qui juvatur a fratre, quasi civitas firma. Vide tit. Societas.

VI. *Veni Jesus januis clausis.* MATTH. XXV. Possunt explicari fructus præsentie Christi, et ad eos participandos Auditores excitari; de quo conceptu vide tit. Deus.

VII. Ex occasione thematis: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Jo. c. xx. ostendi potest, quod, sicut mercatores dilescere volentes in remotas regiones auri, et argenti feraces proficiscuntur, et ob hujus lucrispem omnes labores, et pericula cum gaudio tolerant, pretiosissimas merces enunt, et in eis iterum vendendis nullum tædium concipiunt, etsi totos dies in nudinis consumere debeant; ita S. Thomas quoque has omnes condiciones studiose impleverit, dum in peregrinas regiones profectus, solas animas velut pretiosissimas merces quasivit, et propter illas lucrandas nulli labori, imo nec vitæ et sanguini peperit. Vide tit. Anima, Zelus.

VIII. Ex occasione thematis: *Noli esse incredulus, sed fidelis,* potest ostendi, quod recte dixerit S. Theresia, omnes fere defectus ex defectu vivæ fidei oriri, id quo ex inductione facile probari potest, et testimonio Davidis dicentis: Dixit insipiens, non est Deus (cognoscens, judicans, puniens, vel præmians) corrupti, et abominabiles facti sunt usque ad unum. Vide tit. Deus, et Dei præsentia.

IX. Ex eodem themate ostendi potest, quem fructum perceperit S. Thomas ex suo lapsu, videlicet ingentem dolorem de sua incredulitate; ingentem ruborem de sua fragilitate, et inconstantia, et ingentem fervorem in secura confessione fidei, usque ad vitæ, sanguinisque profusionem protracta. De quibus vide tit. Fides, Contritio, Fervor.

X. Ex themate: *Beati, qui non viderunt, et crediderunt,* potest ostendi, quam beati, et sancti futuri sint etiam in hac vita, qui credunt viva fide quatuor has veritates: Deus ubique præsens, et omnia videt; Deus omnia sapientissime administrat, et ad suam majorem gloriam, ac nostram salutem dirigit; in Deo velut fonte omne bonum purius, recentius, abundantius reperitur; Deus, quidquid proximo facimus, tibi factum reputat. Quæ omnia ex titulo Dei præsentia facile deduci possunt

XI. Ex occasione thematis: *Dominus meus, et Deus meus,* ostendi potest, quomodo Christus noster Deus, ac Dominus dici queat, nimirum: 1^o Quia Ecclesia canit, se nascens dedit socium. 2^o Quia convensens se dedit in edulium. 3^o Quia se moriens dedit in pretium. 4^o Quia regnans se dedit in præmium, quorum beneficiorum magnitudo fusius amplificari potest ex tit. Eucharistia, Passio Christi, Beatitude. Item ex Fabro in Sylva nova th. 3.

XII. Ex occasione thematis: *Isfer digittum tuum huic, et mitte monum tuam in latus meum,* potest ostendi, quem fructum vulnera Christi afferant, si corporaliter, vel spiritualiter per considerationem intellectus attingantur, quod videlicet: 1^o Excitant amorem, dum pro nobis ea passum videmus. 2^o Excitant dolorem de peccatis, dum tantopere per ea vulneratum summum nostrum benefactorem pensamus. 3^o Excitant fervorem in tolerandis adversitatibus; non enim sentit sua vulnera miles, dum ducis sui vulnera intuetur; pro quo conceptu dilatandum vide tit. Vulnera, et Myrrha fasciculum P. Vincentii Caraffe.

PRO FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

I. *Natus est vobis hodie Salvator.* LUC II. Ostendi possunt cause duæ potissime; propter quas natus est Christus, scilicet ut per passionem nobis aperiret cœlum, et per vitæ suæ exemplum ostenderet brevissimam viam ad cœlum. Unde utraque hæc causa fusius ostendenda, et quomodo eundem imitari debeant Auditores, demonstrandum. Vide tit. 23. v. Christus.

II. *Evangelizo vobis gaudium magnum.* LUC II. Ostendi potest, quomodo de Christo nullo verius, quam de B. Virgine dici queat: Nativitas tua Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo, scilicet Deo, Angelis, Patribus in Limbo, animabus Purgatorii, hominibus, quia scilicet his omnibus natus est Salvator; unde excitandi Auditores ad gaudium, gratitudinem, et Christi merita per bonam vitam applicanda. Vide cit. titul.

III. *Et peperit Filium suum primogenitum.* LUC II. Potest ostendi, quis sit optimus modus suum amorem erga Christum ostendendi, si videlicet illum tractemus, ut B. Virgo eum tractavit, concipiendo, gene-

rando, panis involvendo, etc. quæ omnia fultus proposita vide citat titul. Christus.

IV. Ex ejusdem thematis occasione potest ostendi, quomodo consuetudo natales dies magnorum Principum celebrandi observari debeat erga Christum, et in prima quidem parte demonstrari, cur hic dies præ reliquis festive celebrari debeat, nimirum quia summus Dominus natus est, dein quia natus est nobis, id est, in nostrum commodum, et totius generis humani. In secunda parte ostendi potest, quomodo debeamus celebrare, nempe concipiendum gaudium magnum et congratulationem, instituendo certamen (*Turnier*) contra villa nostra et passiones per confessionem et seriam emendationem, sumendo convivium magnificentissimum Eucharistiæ, excitando ignes missiles variarum ardentium precum, quibus sane nobis Deum, et Angelos, et homines recreabimus. Vide tit. cit.

V. *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. II. Potest ostendi, quomodo Angeli canere potuerint, Christum venisse ad pacem mittendam, cum tamen ipse postea dixerit: Non veni pacem mittere, sed gladium; et resolvatur, eum non venisse ad pacem falsam, quam mundus dat, ut ipsemet JOAN. XIV. resolvit, sed ad pacem veram, quæ oritur ex eo, quod gloria et voluntas Dei in omnibus queratur et adimpleatur, quæ proin amplius explicanda. Vide tit. Pax. et cap. xxv, l. III, de imit. Christi.

VI. *Invenietis infantem panis involutum, et positum in præsepio.* Luc. II. Potest dici olim Hebræos habuisse hunc morem, ut si tristitia quæpiam eos invasit, mox se mutuo excitantes dixerint: Eamus ad Filium Mariæ, ut hilares fiamus, eo quod Christus etiam-nam adolescens parvulus tam amabilis fuerit, ut solo aspectu suo aspicientes exhilararit. Dicit ergo Concionator se quatuor turmas hodie ad præsepè adducturum, et facturum ut hilares fiant, quarum prima est pauperum, secunda infirmorum, tertia contemptum patientium, quarta peccatorum; ostendat ergo, quomodo singulæ hæc turbæ Christum in præsepio aspiciere, et ejus exemplo solari se debeant. Vide cit. tit. Christus.

VII. Ex occasione thematis: *Natus est vobis hodie Salvator.* Luc. II. Declarari potest triplex Nativitas Christi. 1^o Æterna, quæ admiranda, veneranda, gratulanda est. 2^o Nativitas temporalis, quæ cum magno gaudio celebranda, cum singulari devotione

et gratitudine peragenda. 3^o Nativitas spiritualis per vitæ emendationem, quæ Christo gratissima est, quia est cultus purissimus, amplissimus et constantissimus, facitque ut Christi Nativitas suum finem et fructum obtineat; unde hæc Nativitas maxime suadenda. Vide Fabrum in hoc festo conc. II.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, quod tres præcipue personæ hodie singulariter gaudere debeant. 1^o Peccatores, quibus natus est Salvator. 2^o Justi, quibus natus est hodie Magister. 3^o Tristes et afflicti, quibus hodie natus est Consolator. Qui tres tituli proin fusius, et cum emphasi explicandi erunt. Vide titul. Christus, Penitentia.

IX. Ex occasione thematis: *Invenietis infantem panis involutum, et positum in præsepio*, dici potest, sicut olim S. Augustinus de cruce dixit, quod non sit tantum lectulus morientis, sed etiam cathedra docentis; ita hoc ipsum etiam de præsepio dici queat. Ostendatur itaque, quomodo tres principales virtutes, quas P. Balthassar Alvarez e Societate Jesu tres comites Christi vocabat, pauperatatem scilicet per indigentiam, humilitatem per contemptum, patientiam per dolores docuerit; pro quo conceptu vide Fabrum conc. IV. et VII.

X. Ex occasione thematis: *Gloria in excelsis Deo*, ostendi potest quanta cum gratitudine hoc festum sit celebrandum. 1^o Quia Deo summa gloria inde obvenit, tum per Christi vitam, tum per Christi imitatores Christianos. 2^o Quia humana natura incarnationem supra omnes Angelos exaltata est. 3^o Quia humano generi Salvator natus est nullo beneficentior, quam fuerit Josephus salvator Ægyptius, quia a graviore jugo liberavit, frumentum nobiliter præparavit, sapientius gubernavit.

XI. Ex occasione thematis: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, ostendatur. 1^o In quo consistat vera pax animi, scilicet in hoc, ut nihil contra voluntatem accidat. 2^o Ostendatur, quomodo hæc pax per voluntatem bonam, id est, voluntati divinæ conformem, obtineatur. 3^o Quomodo Christus hanc pacem attulerit, dum ab infantia voluntatem suam cum divina conformare docuit. Vide tit. Resignatio, et Pax.

XII. Ex occasione thematis: *Transeuntes usque Bethlehem, et vidimus hoc verbum, quod factum est*, explicari possunt circumstantiæ Nativitatem Christi comitantes. 1^o Quis ad nos venit? 2^o Ad quos venit? 3^o Quomodo

venit? 4^o Ad quem finem venit? Quæ omnia fusius explicata vide apud Fabrum in Sylva conc. I.

PRO FESTO S. STEPHANI.

I. *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo.* Act. VI. Potest ostendi, qualla prodigia fecerit S. Stephanus, nempe sequentia; 1^o Quod veritatem tam aperte dixerit, quam quia vix ullus, aut certe paucissimi dicere audent, merito prodigii loco haberi potest. 2^o Quod lapides tam alacriter exceperit, ut Ecclesia de eo canat, quod dulces eidem fuerint. 3^o Quod inimicis tam generose ignoverit. Ostendatur ergo fusius, quam grandia fuerint hæc prodigia, et quomodo Auditores ea imitari debeant. Vide tit. Fortitudo, et tit. Dilectio inimici.

II. *Ne status illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt.* Act. VII. Potest dicere Concionator se paradoxum in hac concione probaturum, scilicet quod S. Stephanus se vel maxime de inimicis vindicaverit, nempe per dilectionem eorumdem; quæ est honestissima, et efficacissima, et longissime durans ultio; de quo vide tit. 44.

III. Ex eodem themate probari potest, cur S. Stephanus tam ferventer oraverit pro inimicis, nempe quia consideravit exemplum Patris æterni, Christi, Sanctorum, puta Davidis, et similitum, aliaque motiva sibi proposuit; de quibus vide tit. cit.

IV. *Ecco video caelos apertos, et Filium hominis stantem ad dextris virtutis Dei.* Act. VII. Potest ostendi qualem sibi imaginatus sit Christum. Nempe: 1^o Ut Magistrum dilectionis inimicorum. 2^o Ut agonethetam seu spectatorem. 3^o Ut remuneratorem; et ideo tam fortiter certaverit, et odium inimicorum vicerit. Vide cit. tit. 44.

V. *Lepides torrentis illi dulces fuerunt.* Ecclesia in Breviario. Ostendi potest, quid lapides hos ipsi dulces fecerit, nempe: 1^o Amor Dei, de quo vide tit. Charitas. 2^o Amor Christi, de quo vide tit. Christus. 3^o Amor inimicorum, de quo vide tit. Dilectio inimici. 4^o Amor sui ordinatus attendens præmium offerendum; de quo vide tit. Beatitude.

VI. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Ps. XX. Ostendi potest,

quam pretiosa fuerit corona S. Stephani ex lapidibus tribulationum facta. 1^o Quia per hanc coronam summe placebat Deo, Christo et Beatis in celo. 2^o Quia ob eam etiam summam laudem et honorem apud homines promeruit. 3^o Quia per eam regnum celorum, et beatitudinem comparavit. Vide tit. Patientia, et tit. Beatitude.

VII. Ex occasione thematis: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* MATT. XXIII. ostendi potest, quam vere dicere potuerit S. Stephanus cum S. Paulo: Bonum certavi, fidem servavi, cursum consummavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, etc. quamque nobilis hæc fuerit corona propter victoriæ difficultatem, quam reportavit de se ipso, de inimicis, de Diabolo. Pro quo conceptu vide tit. Dilectio inimicorum.

VIII. Ex eodem themate ostendantur motiva, cur inimicos exemplo S. Stephani diligere debeamus, scilicet: 1^o Quia conducit ad placandum Deum juxta illud: Dimittite, et dimittentur. 2^o Quia conducit ad placandum inimicum, quem sæpe conciliatum fuisse per talem condonationem, variâ sententiâ Doctorum et historiæ testatur. 3^o Quia conducit ad seipsum placandum, id est, odium et cupiditatem vindictæ, quæ hominem maxime inquietum reddunt, deponendum; plerumque animo pacem restituendam. Vide citatum titulum.

IX. Ex eodem themate proponi possunt excusationes, ob quas homines fore impossibile judicant, injuriam dimittere, quarum: 1^o Desumitur ex injuriæ gravitate. 2^o Ex personæ vilitate aut ingratiitudine. 3^o Ex aliarum personarum, quibus injuria cognita est, et qui timidum judicabunt, si non ulciscatur, respectu. 4^o Ex propriæ fame conservandæ necessitate. 5^o Ex naturali ob vindictam sumendam inclinatione, ut in ipsis bestiis patet quæ omnes excusationes solide refutantur, prout cit. tit. videre est.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo difficultas ignoscendi possit tolli, inspicendo exempla aliorum, præcipue Dei, Christi, S. Stephani, et aliorum Sanctorum, et Ethnicorum; ex quorum consideratione tæpæ haurientur commoda, quorum primum est correctio phantasiæ, quæ creditur tam difficilis vindictæ omisso. Secundum salutaris rubor, quod leviora denittit nolumus, cum ipsi tum graves offensas dimiserint. Tertium generosus impulsus ad injuriam

oblivionem, cogitatione, verbo, et opere suscipiendam. Vide cit tit.

XI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Deus S. Stephanum ad talem pugnam fortiter suscipiendam animavit, scilicet caelos apertos ostendendo; ex quo probetur, unum ex efficacissimis signis praedestinationis ad vitam aeternam esse dilectionem inimicorum, ut facile pluribus S. Scripturae et SS. Patrum historiis probari potest.

XII. Ex eodem themate ostendi potest, quam vere S. Stephanus Protomartyr dicatur, nimirum: 1° Quia primus Novi Testamenti Martyr post Christum fuit. 2° Quia pulcherrimum posteris exemplum praebuit, quomodo se erga persecutores gerere debeant. 3° Quia, dum caelos apertos vidit, ipso hoc facto confirmavit SS. Martyrum privilegium, quo recte et sine purgatorio ad caelum ascendunt. Excitentur proin Auditores ad hoc exemplum, saltem per martyrium spirituale, corporali martyrio quidem mitius, sed diuturnitate longius et crudelius, fortiter sequendum.

PRO FESTO S. JOANNIS
EVANGELISTAE.

I. Vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus. JOANN. XXI. Ostendi potest, quare Christus S. Joannem tantopere dilexerit, nimirum: 1° Ob castimoniam corporis. 2° Ob vite innocentiam. 3° Ob fiduciam singularem. Ad quas virtutes imitandas excitentur et ipsi Auditores. Vide tit. Castitas et Charitas.

II. Scimus, quia verum testimonium ejus. JOANN. XXI. Potest ostendi, non immerito S. Joanni aquilam appingi, eo quod, sicut nulla avis oculis suis magis inspicere potest solem, ita et ille praeter ceteris Evangelistas altius de Divinitate scripserit, utpote qui etiam supra pectus Domini recubuit, et fluentia Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit. Dein ostendatur, ob quam causam sic intueri solem, id est Deum, poterit, quia scilicet mundum cor habebat, hinc in illo impletum: Beati mundo corde, etc. Excitentur ergo Auditores, ut et ipsi huic munditiei studeant, ut in hac et altera vita Deum clarius videre mereantur. Vide tit. Deus, et Fabr. conc. i.

III. Recubuit in cena super pectus ejus. JOANN. XXI. Ostendatur in primis, quid sit supra pectus Christi recumbere, nimirum caput suum cordi Christi, seu voluntati ejus conjungere et unire, seu clarius, voluntatem suam voluntati ejus conformare. Dein ostendatur, quomodo S. Joannes non tantum materialiter, sed etiam moraliter dicto modo recubuerit super pectus ejus; et tandem quem fructum inde reportaverit, scilicet summam et jucundissimam quietem ac tranquillitatem animi. Excitentur proin Auditores, ut sicut Joannem propterea felicem judicaverunt, quia super pectus Domini recubuit, ita hanc ipsam felicitatem per conformationem voluntatis suae cum divina participare studeant. Vide tit. Resignatio.

IV. Tu me sequere. JO. XXI. Ostendi potest, quomodo S. Joannes Christum secutus sit: 1° In vocatione, relictis rebus, et patre. 2° In consolatione in monte Thabor. 3° In passione, nempe ad montem Oliveti et Calvariae; et postea in exilium, in martyrium, saltem intentatum. 4° In gloria, ut veritatum fuerit illud: Sicut socius passionis erit, ita et gloriae. Vide tit. Passio Christi, et I. II. c. II. de imit.

V. Valde honorandus est B. Joannes. Ecclesia in Breviario. Ostendi potest, cur honorandus sit B. Joannes, nempe ob triplicem laureolam, Virginum, Doctorum, Martyrum, quae proin quomodo illi convenierit, ostendendum; quomodo item suo modo Auditores harum laureolarum fructum participare queant. Vide tit. Castitas et Patientia, et tit. Verbum Dei.

VI. Quid ad te? Tu me sequere. JOAN. XXI. Ostendi potest, cur de alienis factis et moribus judicandis solliciti esse non debeamus, quia talis sollicitudo vana est (utope ad nihil conducentis); injusta, dum invadimus jurisdictionem alienam, scilicet Judicis supremi; noxia, quia ledit Deum, proximum, nos ipsos, dum a melioribus et utilioribus cogitandis et practicandis abstrahit. Vide lib. III. c. XIV. de imit. In secunda parte ostendi potest, quomodo quisvis sequi debeat Christum dicentem: Veni, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. Vide tit. Obedientia.

VII. Ex occasione thematis: Vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus. JOANN. XXI, possunt ostendi causae, propter quas S. Joannes tantopere a Christo dilectus sit, nimirum: 1° Ob pulchritudinem animae,

ratione ejus candidus et rubicundus dici poterat. 2° Propter fiduciam singularem, quam erga Christum multis documentis ostendit. 3° Propter teneriorem amorem, quo Christum prosecutus est. Incitentur proin Auditores ad hos modos promerendi Christi amorem pariter adhibendos. Vide Fabr. conc. IV.

VIII. Ex eodem themate afferri possunt rationes, cur S. Joannes specialiter a nobis diligendus et honorandus sit; nimirum: 1° Quia illum singulariter diligebat Jesus, unde et nos in hoc conformari ipsi debemus. 2° Quia ipse vicissim specialiter diligebat Jesum, quem amorem nos perinde, imo pluris estimari debemus, ac si nobis exhibitus esset. 3° Quia clariorem nobis de divinitate et humanitate notitiam per Apocalypsim suam communicavit. 4° Quia nostro nomine sub cruce stans B. Virginem in matrem accepit, atque adeo peculiari titulo Frater noster est.

IX. Ex eodem themate ostendatur, cur tanta rerum coelestium notitia illi sit communicata, ut pro simbolo illi aquila appingatur, nimirum, quia cum, teste Christo, beati sint mundo corde, quoniam Deum videbunt, hanc munditiam S. Joannes peculiariter semper procuravit et custodivit. Ostendatur proin media ad eam exemplo S. Joannis procurandam.

X. Ex occasione thematis: Quid ad te? potest ostendi multiplex curiositas hominum in rebus ad se non pertinentibus scrutandis; nimirum: 1° In rebus fidei et judicis divinis examinandis. 2° In aliorum moribus et factis judicandis. 3° In rebus inutilibus et noxiis videndis, vel audiendis. 4° In futuris rebus indagandis; pro quibus omnibus efficacia media proponantur, illud maxime Christi praescriptum: Tu me sequere. Vide Fabr. conc. IV.

XI. Ex occasione thematis: Ille autem quid? dicatur hanc questionem sat crebro a multis male usurpari, hodie tamen non male de caeremonia vini in honorem S. Joannis benedicens moveri; quare ostendendum: 1° Unde ortum duxerit haec consuetudo. 2° Ob quam finem benedicatur, scilicet: 1° In honorem Dei et S. Joannis. 2° In signum fraternae dilectionis. 3° In sanitatem nostram, ut per merita et intercessionem S. Joannis ob omni damno, quod per vinum creari posset, custodiamus; quae omnia exemplis confirmare oportet.

XII. Ex occasione thematis: Recubuit super pectus Jesu, potest ostendi quantus honor fuerit; deinde quomodo et Auditores illum per singularem dilectionem et fiduciam ad Christum participare queant, de quo vide tit. Charitas et Spes. Item Fabr. in Sylva them. XV.

PRO FESTO SS. INNOCENTIIUM.

I. Ex occasione thematis: Mittens occidit omnes pueros, MATTH. c. II. ostendi possunt causae, cur Deus Innocentium caedem permiserit; nimirum: 1° Ob Christi dignitatem et manifestationem. 2° Ob gloriam Dei, quae non modice augebatur ex tot victimarum gratissimarum oblatione. 3° Ob bonum Infantium, ne adultiores facti perirent. 4° Ob correptionem parentum, qui noluerunt Messiam natum agnoscere. Vide Fabr. in hoc Festo concil. VI.

II. Ex occasione thematis: Surge et accipe puerum, et Matrem ejus, et fuge in Aegyptum, potest obedientia S. Josephi commendari, uti et B. Virginis ob tres causas: 1° Quia erat prompta, dum statim surrexit. 2° Quia erat caeca, et non inquires cur Deus non alio modo Christum custodierit. 3° Quia erat fortis, nullam difficultatem praetendens; de quibus vide tit. Obedientia, et Fabr. conc. VI. n. 2.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quod mali socii adolescentiam scandalizantes plus noceant, quam satellites Herodis: 1° Quia isti tantum corporalem, illi spirituales vitam adimunt. 2° Quia satellites pueros publice, socii vero occulte et fraudulentè perimunt. 3° Quia satellites semel dumtaxat, socii saepius occidunt. 4° Satellites biennes dumtaxat occiderunt, sed hi adultiores, quod magis dolendum. 5° Satellites tantum infantibus nocuerunt, socii mali etiam parentibus et consanguineis. Unde monendi parentes, ut mature subducant liberos talibus sociis; ipsi liberi vero, ut studiosè fugiant.

IV. Ex occasione thematis: Mittens occidit omnes pueros, ostendi potest Innocentium preces valde Deo gratas esse ob triplicem titulum: 1° Quia puro corde offeruntur. 2° Quia ut alii Martyres, sanguinem suum profusum cum precibus offerunt. 3° Quia valde multi sunt; impossibile autem est, multorum preces non exaudiri. In altera

parte ostendatur, a quibus præcipue invocandi sint, videlicet: 1º Ab adolescentibus, quia, cum in hoc statu jacentur fundamenta futuræ vite, hi præ aliis indigent auxilio, quod Innocentes illi, utpote similibus, libenter præstabant. 2º A juvenibus, quia hic status propter calorem internum, vigorem corporis, insidias lenonum, Diaboli oppugnationem, parentum conviviam, ætatis licentiam, majori periculo innocentie pendendæ subjectus est. 3º A parentibus, ut SS. Innocentes gratias impetrent pro novellis arboribus rite colendis, et tamquam exercituum eorum liberos ab hostibus, qui adolescentiæ maxime insidiantur, protegant; unde hortandi Auditores, ut huic exercitui stipendium quotidianum cultus, et precum diligenter persolvant.

V. Ex eodem themate dicatur morem, quo Infantes *auffkindet vuerden*, non omnino reprehendendum, eo quod per illum innuatur correctionem liberis necessariam esse; unde ostendatur necessitas, utilitas, et modus hujus correctionis, qui in tribus præceptis consistit, nempe ut opportune, suaviter, efficaciter suscipiatur; de quo vide tit. Ordinatio.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo satellites Herodis infernalis dignosci possint, videlicet ex caputibus lectis (*Nebkapp*) nam: 1º aliqui nigra habent, qui ad nocturnas grassationes et levitates invitant. 2º Alii rufa (*leibfarb*), qui ad carnis illicitas voluptates alliciunt. 3º Alii viridia cum straminea corona, qui ad compotationes incitant. 4º Alii discoloria, qui varia axiomata perversa instillant. Qui omnes cur et quomodo fugiendi sint, ostendendum. Vide tit. Educatio, et Societas.

PRO FESTO DEDICATIONIS TEMPLI.

I. *Hodie salus domini huic facta est.* LUC XIX. Potest ostendi, cur dedicatio instituta sit, nempe ob tres causas: 1º Ut memoriam recolamus beneficiorum per templum, et in templo collatorum. 2º Ut debitas pro his gratias agamus. 3º Ut veniam petamus negligentiarum in templo tali commissarum, et defectus tales sincere emendare studeamus; qui quidem defectus enumerari possint, nempe negligentia in eo frequentando, in cultu divino ibidem recte peragendo in Missa,

in verbo divino rite audiendo, in Sacramentum fructuose suscipiendis. Vide tit. Sacramentum et Sacrificium, et Verbum Dei.

II. *Hodie in domo tua oportet me manere.* LUC XIX. Potest ostendi, quomodo dedicatio digne celebrari possit, si scilicet mens nostra, quæ est templum Dei, denuo dedicetur divinis usibus. In prima ergo parte ostendatur, quomodo antiquum ædificium, v. gr. lupanar, hospitium, taberna destrui, id est, præterita consuetudo deponi debeat. In secunda, quomodo nonnisi divina officia, id est, opera ad honorem Dei peracta celebrari debeant. Vide tit. Intentio bona, et tit. Consuetudo.

III. *Hodie salus facta est huic domui.* LUC XIX. Potest ostendi, quomodo possit quisvis pro dedicatione jucundum convivium Deo, Sanctis, amicis, sibi parare, illud nempe, de quo Salomon Prov. xv. dixit: *Secura mens quasi juce convivium.* Ostendatur ergo, quomodo bona conscientia lætificet Deum et Sanctos, et proximos, et maxime seipsum, ante, in, et post mortem, et quomodo hoc convivium Zachæus Christo instruxerit. Vide tit. Conscientia.

IV. *In domo tua oportet me manere.* LUC XIX. Ostendi potest, quomodo sequi quisque debeat consilium S. August. dicentis serm. 252. de tempore: « Quotiescumque, Fratres charissimi, altaris vel templei festivitatem colimus, si fideliter, ac diligenter attendimus, et sancte, ac juste vivimus, quidquid in templis manufactis agitur, totum nobis spirituali ædificatione completur. » Demonstratur ergo, quomodo: 1º Dedicatio prima celebrari debeat, deputando nos ipsos totos divino cultui. 2º Quomodo annua dedicatio fieri debeat, per renovationem annuam, in qua agamus gratias pro beneficiis collatis, petamus veniam negligentiarum commissarum, novum concipiamus propositum divino servitio, et cultui nos totos mancipandi. 3º Quomodo dedicatio extraordinaria, seu reconciliatio fieri debeat post pollutionem templi factam per peccatum mortale. Vide tit. Pœnitentia, et Instruct. 7. pro Festo Dedicat.

V. *Hodie salus domui huic facta est.* LUC XIX. Potest in primis indicari præstantia templi Salomonici, et probari ex impensis in id factis, de quibus dixit David. 1 PARALIP. c. XXIX. Ego autem totis viribus, etc., ex magnitudine: Opus enim grande est, etc. ibid. ex elegantia, quia auro undique orna-

tum fuerat. Deinde ostendatur, quanto præstantius templum sit anima easdem circumstantias spectando, quantoque adeo id magis Majestas Dei sit inpletura, et preces in eo exauditura. Inde inferatur, quanta cura sit hoc templum mundum custodiendi, laus Dei in illo celebranda, ad illud confugiendum, etc. Vide tit. Oratio.

VI. *Hec est domus Domini.* ECCL. in Breviar. Ostendi potest, quando ad Ecclesiam recurrere debeamus, tunc nempe, quando ad domum materiale recurrimus. 1º Quando aliqua re indigemus. 2º Quando pluvia ingruat. 3º Quando cibum sumere volumus. 4º Quando hostis nos persequitur. 5º Quando quiescere, et dormire volumus; quæ omnia in sensu spirituali domui sacræ seu templo accommodari possunt; de quo vide Instruct. VII. pro festo Dedicat. ubi plures conceptus reperies.

VII. Ex occasione thematis: *Hodie salus facta est huic domui.* LUC XIX. doceri potest ars bene administrandi familiam (*Wolzuhausen*), quinque doctrinis comprehensa; quarum prima est: Reddite, quæ sunt Dei, Deo. Secunda: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, seu proximo. Tertia: Date, et dabitur. Quarta: Concordia res parvæ crescant, discordia maximæ dilabuntur. Quinta: Fæc quod tuum est, Deus faciet quod suum est. Quas doctrinas vide fusius explicatas in Instr. VII.

VIII. Ex eodem themate ostendi potest, qualis Ecclesia sit domus: 1º *Ein Bethaus*. 2º *Ein Proviathanus*, quia ibi cibus anime per conciones, Sacramentum Eucharistiæ porrigitur. 3º *Ein Lazarethuss*, quia ibi morbi anime per confessionem aliaque media curantur. 4º *Ein Wachthaus*, quia ibi anima reperit fortissimum presidium. 5º *Ein Lusthaus*, quia in templo reperit anima summam animi delicias. 6º *Ein Rithhaus*, ad quam, sicut Moyses, pro divino responso confugimus. 7º *Ein Wohnhaus*, tamquam palatium summi Regis, in quo proin audientia apud Deum, varique dona impetrari possunt; de quibus vide dictam Instruct. VII.

IX. Ex eodem themate ostendatur, quare

et quomodo in templo se gerere quisque debeat, nempe: 1º Quia recte novit vivere, qui recte novit orare. 2º In oratione observetur monitum S. Davidis, Ps. XLVI. momentis: Psallite Deo nostro per linguam *distincte*, per memoriam *attente*, per intellectum *intelligenter*, per voluntatem *ardenter*, per corpus *reverenter*. Vide tit. Oratio.

X. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Auditores perpetuam dedicationem habere possint, et semper læti esse, si scilicet voluntatem suam cum divina conformare studeant, uti Christus ipse S. Catharinæ Senensi ostendit in dialogo cum ipsa instituto, quem vide tit. Resignatio.

XI. Ex occasione thematis: *Hodie oportet me in domo tua manere*, potest ostendi, quomodo Christo ex voluntate divina gratissimum convivium instrui possit; hanc quippe gratissimum sibi cibum esse, ipse Christus ostendit dicens: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei.* Quod autem optimum sit convivium, probatur: 1º Quia continent epulas fictitias (*Baschavessen*), non enim licet tangere et examinare voluntatis divinæ justitiam. 2º Continet *Hauptseissen*, quia satiat, nutrit, augmentat, et roborat, ut cibi solidi. 3º Continet bellaria dulcia (*Confect*), id est singularem animo lætitiâ, et quietem affert. De quibus effectibus vide plura tit. Resignatio. Item Instruct. II. f. 237.

XII. Ex eodem themate possunt abusus, qui in dedicatione intervenire solent, indicari et reprehendi: 1º Quia Templum Dei, id est, animas plurimi Baccho et Veneri consecrant. 2º Quia loco templi frequentantur hospitia, nec orationibus vacatur. 3º Quia loco renovationis interioris renovantur peccata, et mala proposita peccandi, et varias alias absurditates, et fraudes committendi. 4º Quia loco elemosynarum, quibus pauperes hoc die recreare deceret, pecunia in convivia superflua et lusus impenditur. Ut ergo a talibus abusibus Auditores tanto diligentius absterneant, ostendatur, quantum ex illis injuriâ Deo et Sanctis, quanta quoque et aliis damna creent.